DIE XX. DECEMBRIS.

OFFICIUM IN FESTO S. DOMINICI SYLENSIS, ABBATIS.

DUPLEX IN HISPANIA.

Omnia de Communi Confess. non Pontic. præter ea, quæ sequuntur.

ORATIO.

DEUS, qui Ecclésiam tuam, Beati Dominici Confessoris tui præclaris vitæ meritis decorasti, & in liberandis captivis gloriosis lætificasti miraculis; concede nobis famulis tuis, ut & ipsius instruamur exemplis, & ab omni vitiorum servitute ejus patrocinio liberemur. Per Dñm.

Lectiones primi Noctur. de Scriptura occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

DOminicus Abbas honestis parentibus natus est Cannis, oppidulo ad radices Jubedæ montis in Cantabris. Quem ab ipsa pueritia mirus monasticæ vitæ ardor occupavit; adeò, ut relicta gregis paterni cura, in solitudinem secesserit. Sed cùm parum ei tuta videretur illa solitudo,

tudo, insigne Sancti Æmiliani Cœnobium adiit; ubi cùm diu sub habitu, & disciplina monastica vixisset magna sanctitatis opinione, Ecclesiæ Canarum regendæ perficitur; inde in Cœnobium Sancti Æmiliani revocatus, Prior efficitur. Verum dum Cantabrorum Regi, quædam à Cœnobio injustè exigenti constantissimè resistit, ab eodem in Jubedæ montis invia duobus Monachis comitibus actus est. Qui ejus furori cedere cupiens, ad Ferdinandum Castellæ, & Legionis Regem, nominis ejus primum, se contulit. Qui viri Dei sanctitate motus, illum ad se adeuntem benignè, & honorificè excepit, & Cœnobio Sancti Sebastiani præesse voluit, addito ab Episcopo Diœcesano Abbatis titulo.

Resp. Honestum fecit.

Lectio v.

ERat autem ipse locus infrequens, utpote qui sterilibus quibusdam Jubedæ montis collibus subjaceat, qua mons ipse Celtiberos tangit. At claritate miraculorum, quæ quotidie per servum suum Dominicum operabatur Deus, tam celeber, ac frequens factus est, ut eo tempore per Hispaniam nullus illustrior esset. Nulla enim ferme morborum genera erant, quæ Dominici precibus ab hominum corporibus non pellerentur. Uni de Cœnobio in augustiorem formam erecto, magno etiam Monachorum numero coaluit; Regibus, ac populis multa illi certatim offerentibus; quin etiam singulari privilegio servum suum insignivit Dominus, ut Christiani, qui apud Mahometanos vincti multis ferri ponderibus tenebantur, invocato Dominico, liberarentur.

Resp. Amavit, & c.

Le

Lectio vi.

DEmum gravi morbo correptus; Ecclesiæ Sacramentis devotissimè susceptis, migravit ad Dominum anno Domini millesimo septuagesimo quarto. Eo autem die, quo migravit à corpore, visa est à pueris quibusdam illius anima triplici corona decorata in Cælum subvolare. Corpus verò ejus in eodem Cœnobio conditum hodie cernimus, quod Sanctum Dominicum de Sylos appellamus. Ad cujus sepulchrum orans Joanna Felicis Guzmani uxor, olim infæcunda, filium impetravit, cui Sancti hujus viri propterea nomen imposuit. Quod quidem ipse mira vitæ sanctitate, sacroque Prædicatorum Ordine instituto, multò reddidit illustriùs, quàm accepit.

Resp. Iste homo.

Lectiones tertii Nocturni Homilia in Evangel. Ecce nos reliquimus omnia, *de Comm. Abbat.*

Missa : Os justi, *pro Abbatibus, Oratio*: Deus, qui Ecclesiam tuam.



HISPA-

HISPANIARUM.

NON minùs piis Serenissimi Regis Catholici instantiis, quàm humillimis PP. Ordinis Sancti Benedicti precibus pro extensione Officii proprii, & Missæ S. Dominici Sylensis porrectis, & per Emum. & Rmum. D. Card. Gotti in Sac. Rit. Congreg. relatis, Sacra eadem Congregatio singulis annis die 20. Decembris in festo dicti Sancti petitum Officium, jam pro Patribus Ordinis S. Benedicti approbatum, sub ritu duplici, servatis tamen Rubricis, in cunctis Regnis, ac Dominiis ipsi Serenissimo Regi Catholico subjectis ab omnibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus utriusque sexus, qui ad horas Canonicas tenentur recitari, & Missam respectivè celebrari posse concessit, si SS. D. N. visum fuerit. Die 9. Maii 1733.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis SS. D. N. relatione, Sanctitas sua benignè annuit. Die 19. ejusdem mensis, & anni 1733.

A. F. Card. Zondadari Pro-Præf.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeschi Archiep. Apam.
Sac. Rit. Congr. Secret.